

*In beatissimum Obitum Illustris
MATRONÆ.*

Ergò suis etiam jaculis de stemmate natos
 Illustri pallens sternere Morta solet?
Ergò casas inopum, nec non Proserpina turres
 Æquo Baronum pulsat iniqua pede?
Sic est: erubuit non Mors prosternere CAJAM
 BARONIS, MAGNO quæ generata PATRE.
Scilicet antè diem privata est luminis aurâ,
 Digna Sibyllinos enumerare dies.
Heu! stimulos Mortæ passa est CALLENBERGICA CONJUX;
 Matronale decus Justitiæq; Soror.
Urget perpetius jam somnus membra tenellâ
 Corporis ò Sexus rara CORONA Tui.
Cum Tua sollicito premerentur corda dolore
 Cottidiè, præter spem fera Morta venit:
Et TE præ reliquis fatali demetit ense,
 Nec non obscuras TE jubet ire vias.
Heu! CALLENBERGO Magno pergrata voluptas
 Illustris rapitur præsidiumq; Domus.
Flete igitur quotquot tenet urbs moestissima, cives,
 Questibus & totos continuante dies.
Salsas præprismis lacrymas profundito pubes;
 Stemmate DOHNÆO progenerata cadit.
Cernimus atq; VIRUM famâ super æthera notum
 E tristi questus fundere corde graves.
Excipit hunc plorans pia CALLENBERGICA Proles,
 Et multis lacrymis ora subinde rigat.
Et quidni Proles & CALLENBERGIUS HEROS
 DEFUNCTÆ flerent fata suprema necis?
Dùm vivebat, erat MATRONA Illustris asylum
 Omn'bus, & Patriæ magna Patrona meæ.
Præcessit MATREM longè charissima NATA,
 Dotibus eximiis quæ decorata fuit.
HÆC simul Illustri jam cum GENETRICE sepulchro
 Conditur, æternos digna videre dies.
MAGNE VIR, ac oræ meritissime SATRAPA nostræ,
 Desinē lacrymulas tristitiæq; modos.
TII quoq; mcerorem cohibe generosa PROPAGO;
 AMBÆ percipiunt gaudia læta poli.

Illustris